



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 65. Eugenius III. moritur. Anastasius IV. Papa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

§. LXV.

Sæcul. XII.
A. C. 1153.*Eugenius III. moritur. Anastasius IV.
Papa.*

Eugenius III. Papa eodem anno mil-
lesimo centesimo quinquagesimo ter-
tio octava Julii obiit, postquam in Petri
Cathedra annos octo & ferme menses
quinque sedisset. Is quartam partem
oblationum, quæ ex more in Basilica
S. Petri in Altari maximo fiebant, ejus-
dem Ecclesiæ Canonicis concessit, ipse
nunquam ibidem Sacris operari solitus,
nisi aliquod donum, Summo Pontifice
dignum, afferret. Mortem vero op-
petiit Tibure, unde Romam solemniter
pompa translatus, & in Basilica S. Petri
sepultus est, Sanctus ab omnibus habitus,
etsi publico cultu affectus non legatur.
Complura autem miracula ad ejus tumu-
lum edita sunt, & nominatim ægroti
septem a variis morbis liberati Deo gra-
tias egerunt.

*Veter. mon.
ap. Baron.
& Papebr.
con.*

Altera post Eugenii obitum die, nona
Julii, Romanus Pontifex electus est Con-
radus, Episcopus Sabinensis, patria Ro-
manus, Canonicus Regularis, dictus Ana-
stasius IV. Senex magna pietate con-
spicuus, Rerum Romanarum & Eccle-
siasticarum longo usu peritissimus, qui
autem

Sæcul. XII. autem ad clavum Ecclesiæ non plus uno
A.C. 1153. anno & quatuor mensibus sedit.

§. LXVI.

S. Bernardus Metis.

vit. Lib. V.
s. i.
 Inter hæc S. Bernardus vires corporis in
 dies deficere sentiebat, Fratresque
 censebant, fieri non posse, ut tota hyeme
 anni millesimi centesimi quinquagesimi
 tertii inchoati superstes esset. Ipse vero
 affirmavit, se usque ad ætatem victurum;
 quamvis proinde lecto affigeretur, & ma-
 gnis cruciaretur doloribus, Spiritualia ta-
 men meditabatur, dictabat epistolas, ora-
 bat, fratres ad constantiam exhortabatur.
 Vix unquam Missam celebrare omisit,
 priusquam ad extrema deduceretur. Ita
 ægotans scripsit ad Andream, Avuncu-
 lum suum, militem Templi, firmum Regni
 Hierosolymitani fulcrum. Is enim ad S. Ab-
 batem prior literas dederat, in quibus si-
 gnificabat, maximo se teneri eum invi-
 sendi desiderio. In illa epistola S. Bernar-
 dus ait: *Si venis, cito veni, si me vivum ha-
 bere cupis.* Tum mentionem faciens de
 Principibus, qui in Palæstinam peregri-
 nati fuerant, *nihil boni, inquit, in illis ter-
 ris effecerunt, & celeriter ad sua reversi,
 mala incredibilia peregerunt.* Simul, ut ab
 Avunculo rogatus fuerat, ad Melisendam
 Hiero-